

Circa distinctiones 42, 43 et 44, in quibus Magister inquirit de Dei omnipotentia, quero utrum in lumine rationum naturalium ponendum sit Deum esse potentie active formaliter infinite secundum vigorem. Quod sic, quia improportionabiliter excedit secundum vigorem potentie hanc secundam causam, quia hec secunda causa per sui augmentationem vel multiplicationem non excederet virtutem prime cause. Contra: hoc maxime videtur argui ex eternitate motus, sed hoc non, quia ad infinitatem motus eterni sufficit potentia motiva infinita secundum durationem. Patet de intelligentiis motricibus orbium inferiorum. Notandum: non queritur hic de infinite Dei secundum perfectionem absolutam simpliciter, quia de hoc in questione sequenti, sed de infinite potentie, ut est activa et motiva vel effectiva. Potentia autem activa vel motiva intelligitur infinita formaliter intensive in vigore, que ultra quamcumque velocitatem datam potest secundum quamcumque proportionem movere velocius quocumque mobile datum, et que ultra omnem proportionem finitam imaginabilem excedit quamcumque resistentiam finitam imaginabilem secundum quod motiva et activa.

Prima conclusio: Deus est veraciter potentie active et motive formaliter infinite secundum vigorem. Probatur, quia est omnipotens. Item, Psalmo, *magnitudinis eius non est finis*, quod non intelligitur de magnitudine molis, igitur virtutis. Item, esset dare certam velocitatem finitam ultra quam non posset movere *b* mobile, et aliqua virtus creabilis posset eque velociter movere. Contra: sequitur quod posset movere in instanti. Probo, quia secundum Aristotelem, 8 Physicorum, si esset virtus infinita naturaliter, agens moveret in instanti, igitur si est infinita libere activa, potest movere in instanti. Consequentia ista probatur, quia quanta velocitate moveret aliqua virtus, si esset naturaliter motiva tanta velocitate posset movere, si esset libera. Et quam perfecte ageret tunc, tam perfecte posset agere nunc, et potest causare quidquid causaret, si esset naturali necessitate agens, quia libertas cum sit perfectionis conditio non diminuit de ratione potentie active.

Respondeo: sumendo moveri proprio pro mutatione successiva et transitu non subitaneo, negatur consequentia. Ad probationem, negatur consequentia, quia illius consequentie pars prima antecedentis implicat contradictionem, ideo infert illud et eius oppositum. Ad probationem, accipiendo li ‘tanta’ et li ‘quanta’, et li ‘quidquid’ generaliter ut amplientur ad standum, etiam pro infinito negatur quod possibile sit Deum movere et agere quecumque et qualitercumque, que etiam qualiter ipsum causare sequeretur, si esset virtus infinita naturalis in agendo, tamen tam

perfecte, et quidquid causaret vel causare, sequitur tunc absque implicatione repugnantie potest et nunc.

Secunda conclusio inquirenda an pars affirmativa questionis possit sufficienter probari, stando precise in lumine rationum naturalium. Et dicunt aliqui quod sic, et arguitur primo ex eternitate motus primi, per rationem Aristotelis, 8 Physicorum, sic: prima causa movet motu infini - [385a]- to secundum durationem, igitur est virtutis infinite intensive. Consequentia probatur: sit *a* potentia motiva finita, quam dicas movere in tempore infinito, sit igitur *d* potentia subdecupla ad *a*, tunc *d* potentia non movebit tempore infinito. Probo, quia maior virtus potest movere pluri tempore, et maioris virtutis est posse movere maiori tempore. Sit igitur *c* tempus finitum per quod *d* potentia movebit, tunc que est proportio ipsius *a* potentie motive ad *d* potentiam motivam, talis erit proportio temporis in quo *a* potentia movet ad *c* tempus in quo *d* potentia movet. Sed illa est tantum proportio decupla, igitur tempus in quo *a* potentia movet est tantum decuplum ad *c*, igitur *a* non movet tempore infinito, et quod Aristoteles intendat ex illa ratione probare infinitatem primi motoris, non tantum secundum durationem sed secundum intensivum vigorem. Patet quia tale infinitatem concludit qualis repugnat magnitudini. Consequenter enim ex infinitate probatur quod non sit virtus in magnitudine, quia nec in magnitudine finita, nec infinita, cum infinita magnitudo esse non possit, et in magnitudine finita non possit esse virtus infinita, quod non est verum de virtute infinita secundum durationem. Patet de sole, talem etiam infinitatem virtutis concludit ad quam si esset in magnitudine, sequeretur movere in instanti secundum ipsum. Confirmatur, deducendo sic maioris potentie et vigoris est posse movere aliquod mobile per quattuor dies quam posse movere illud precise per 2 dies et maioris per 8 quam precisely per 4. Et sic consequenter, igitur infinite potentie et virtutis est posse ex se movere per infinitos dies. Consequentia patet, quia ubi maior pluralitas infert maiorem vigorem, ibi infinita infinitum.

Confirmatur quod ex se et a se continet actu et simul effectum infinitum est potentie infinite, primum movens motu eterno est huiusmodi, igitur maior, quia continere sic virtualiter maiorem effectum est potentie maioris. Minor probatur, quia licet partes motus ponantur realiter extra in actu non simul, sed successive tamen prima causa continet illas simul, et continet virtualiter in sua vi activa motum infinitum, et omnes partes eius. Non enim incipit noviter continere virtualiter, quia continue cresceret et immutaretur in sua vi activa et virtuali continentia. Ex his

patet quod, sicut Aristoteles concludit, *a* esse potentie infinite ex eo quod ex se actu movet motu infinito, ita potest concludi si potest ex se movere motu infinito.

Secundo, principaliter ex velocitate motus arguitur sic: omni velocitate motus data vel possibili convenit dare maiorem velocitatem, etiam in duplo vel triplo, igitur quacumque potentia motiva finita data convenit dare duplo maiorem, et per consequens etiam aliqua infinita. Antecedens probatur per Aristotelem, 6 Physicorum, capitulo 4. Consequentia probatur, quia velocitas motus sequitur proportionem vel excessum potentie motive respectu mobilis.

Dices: negatur consequentia quia velocitas motus in infinitum potest augeri per diminutionem resistantie absque augmentatione virtutis ultra omnem proportionem. Contra: quacumque velocitate finita data celum potest velocius moveri naturaliter, igitur potentia aliqua motiva celi est infinita. Antecedens probatur, tum <quia> 6 Physicorum, capitulo 4, “omne quod movetur convenit velocius moveri et tardius”, tum quia si aliquis motus inferior potest in infinitum velocitari, igitur et primus, quia est velocior omnium et brevissimus et mensura aliorum secundum Aristotelem, 4 Physicorum et 10 Metaphysice.

Tertio ex causalitate effectiva arguitur sic: illud agens est infinitum in virtute et vigore quod actu et simul habet in sua vi activa et ex se independenter infinitos effectus. Prima causa est huiusmodi, igitur maior probatur, quia sic con -[385b]-tinere infinitos plures effectus est perfectioris potentie quam sic continere pauciores, igitur sic continere infinitos est in infinitum perfectioris virtutis. Minor patet, continent enim infinitos effectus producibles mediante motu infinito et continent illos actu et simul, quia ex effectibus preteritis non acquiritur Deo nova perfectio et continentia virtualis, alioquin in prima causa esset continua mutatio et perfectionum acquisitio.

Confirmatur: illud agens est infinitum quod actu et simul habet in se et ex se virtutem, unde posset sufficienter quantum est ex se producere simul in actu infinitos effectus, si illi effectus essent possibles simul. Sed prima causa est huiusmodi, igitur maior probatur quia si illi effectus successive causabiles essent simul actu ponibiles, virtus potens illos simul in actu ponere esset infinita, igitur et virtus que quantum est ex se habet, unde sufficienter possit illos ponere, si non esset incompossibilitas ex parte effectuum, quia talis virtus non est minus potens et perfecta ex hoc quod illi effectus non sunt simul ponibiles, cum hoc non sit ex defectu potentie in causa, sed ex incompossibilitate effectuum. Minor probatur: infiniti effectus successive producibles

continentur actu simul in prima causa, quia non incipiunt noviter contineri in ea, et etiam eque perfecta virtuali continentia continebat ab eterno virtualiter hunc effectum, statim producendum sicut nunc continet. Igitur, quantum est ex se habet nunc virtualem continentiam, unde possit producere statim omnes huiusmodi effectus. Si natura effectum et passi, hoc permitteret. Unde, potest sic argui. Si prima causa posset ponere in actu infinitos huiusmodi effectus, inferretur esse infiniti vigoris, igitur et nunc um potest ex se ponere illos successive. Probatio consequentie, quia non minus perfecta potentia est nunc quam foret, tunc cum non sit ex defectu potentie et continentie virtualis, quod non possunt simul produci, quia omnem potentiam qua producit illos successive habet simul ex se, et impletive non participative vel dependenter.

Quarto, et est confirmatio precedentis. Si primum ens haberet in se formaliter causalitates causarum secundarum vel distinctas et proprias causalitates respectu singulorum infinitorum effectum causabilium esset infinite virtutis et vigoris, quamvis illa causabilia non possent poni simul in actu, igitur et nunc est infinite potentie et vigoris. Antecedens patet, quia contineret in se formaliter infinita et a se. Consequentia probatur, quia primum ens nunc continet illa modo nobiliiori et eminentiori quam si haberet in se formaliter huiusmodi causalitates. Probo, tum quia eminentius est habere potentiam calefaciendi et frigefaciendi et rarefaciendi et illuminandi per unam vim formaliter quam per plures proprias particulares limitatas, tum quia causa secunda mediata prime cause habet totaliter suam perfectionem a prima causa, quia est causatum solius prime cause, igitur prima causa continet perfectionem illius eminentiori modo quam contineatur ab illa causa secunda et eodem modo de tertia respectu secunde et sic consequenter, igitur prima causa continet eminentius causalitates causarum secundarum, quam si haberet illas in se formaliter, et quam contineantur a causis secundis.

Quinto, si prima causa posset se sola immediate in quemlibet effectum inferretur esse potentie infinite, igitur et nunc cum potest in quemlibet effectum mediante causa secunda. Antecedens patet, quia contineret ex se simul in actu totaliter et sufficienter infinitos effectus et infinitas causalitates. Consequentia probatur, quia non est minus potens et perfecta quam foret tunc. Probo, quia quod non producit effectus inferiores, nisi mediantibus causis secundis, non est ex defectu et diminutio -[386a]- ne potentie et perfectionis in ea, quia ipsa se sola immediate sufficit ad causatum perfectissimum, scilicet ad primum et immediatum causatum. Si igitur ex defectu potentie exigeret causas secundas, tunc ipsa cum causa secunda produceret perfectiorem

effectum quam se sola. Illud igitur est ex imperfectione effectuum posteriorum, quia prima causa propter sui nobilitatem et eminentiam non causaret tam diminutos effectus, nisi cum aliis causis imperfectis ex eius, etiam perfectione provenit quod in causando remotior est ab entibus imperfectus.

Sexto, causa productiva celi et intelligentiarum est infinite potentie. Primum ens est huiusmodi, igitur. Minor patet ut supra, distinctione 21. Maior probatur quia talis causalitas effectiva non est productio per motum vel mutationem, nec exigit passum vel materiam, igitur est productio creativa vel non minus excellens quam causalitas creativa et talis excedit infinite potentiam que non potest causare, nisi per motum et transmutationem pressuponendo materiam de cuius potentia educat. Confirmatur: non minoris perfectionis est producere ab eterno celum vel intelligentiam quam producere hodie noviter, sed secundum inferet primam causam esse infinite virtutis, igitur.

Respondeo sub secunda propositione. Prima propositio: ex infinita duratione motus actuali vel potentiali non arguitur sufficienter in lumine naturali primum motorem vel primum ens esse potentie infinite, secundum vigorem intensive. Probatur primo, quia secunde intelligentie et virtutes stellarum active essent infiniti vigoris intensive, quia sunt perpetuo active.

Preterea, virtus motiva incorruptibilis inalterabilis et infatigabilis potest movere tempore infinito. Sed contingit virtutem finitam esse incorruptibilem etc., igitur. Maior probatur, quia talis virtus quanto tempore potest permanere integraliter absque alteratione et diminutione, tanto tempore potest movere mobile conveniens sibi applicatum. Eadem enim virtute qua potest hodie revolvere *b* mobile poterit cras et perpetuo ex quo equalis virtus est sine diminutione et alteratione et fatigatione. Confirmatur: mobile incorruptibile finitum et inalterabile potest perpetuo moveri, igitur et potentia motiva finita incorruptibilis et infatigabilis potest perpetuo movere. Si igitur *a* potentia motiva et *b* mobile maneant cras et perpetuo in eadem integritate et dispositione, sicut hodie eque poterit *a* movere *b* cras et in perpetuum sicut hodie potest, sed secundum philosophos intelligentie secunde sunt virtutes incorruptibles et infatigabiles, immo necesse esse formaliter secundum eos, et secundum Commentatorem, secundo Celi et mundi, commento 38, ut infra allegabitur: “sola abstractio a materia sufficit ad eternitatem motus”. Ex predictis patet quod ex infinita successione generabilium et corruptibilium non arguitur infinitas vigoris intensive in aliqua causa superiori.

Dices: anima intellectiva est incorruptibilis, tamen est fatigabilis in sua operatione, patet per experientiam. Respondeo: hoc est ratione virtutum corporalium, que in nobis sunt corruptibles et alterabiles et infirmabiles. Dices: licet angelus sit incorruptibilis, tamen potentia angeli est fatigabilis. Probo, quia potest pati difficultatem, quia per habitum potest inclinari et facilitari ad unum, igitur difficultari ad oppositum. Confirmatur: secundum Commentatorem, 8 Physicorum et 12 Metaphysice: “si unica stella adderetur celo intelligentia, aut non moveret, aut tardius moveret”. Respondeo: naturalis potentia activa angeli non patitur difficultatem que sit secundum lassationem et fatigationem et alterationem et diminutionem vel indispositionem formalem et intrinsecam potentie. Sed [386b] dicitur difficultari in eo quod potest impediri a tanto gradu actionis per maiorem vel minorem resistentiam, tamen quacumque resistentia data, si potest per aliquod tempus movere certo gradu velocitatis, posset ceteris paribus eadem facilitate perpetuo movere equali gradu.

Secunda propositio, stando precise in lumine rationum naturalium, magis videtur ponendum primam causam non esse virtutis infinite intensive secundum vigorem. Probatur, quia aut poneretur activa et motiva naturali necessitare, aut libere libertate contradictionis et contingentie, non secundum, quia tunc in lumine naturali esset ponendum quod celum simpliciter et absolute posset moveri duplo velocius et quadruplo velocius, et duplo et quadruplo tardius, et quod posset moveri motu irregulari et difformi nunc et prius, et quod posset quiescere et cessare motus celestis et tempus, et quod posset iterum revolvi post quietem et iterum stare infinites et multa huiusmodi, que quamvis sint possibilia secundum veritatem fidei, tamen secundum naturalem philosophiam non sunt ponenda. Si detur primum, contra: quia non moveret celum finita et certa velocitate, sed infinita, alioquin virtus finita et virtus infinita naturales equali velocitate moverent, iuxta deductionem Aristotelis, 8 Physicorum. Ad hoc diceretur quod Aristoteles probat talem virtutem movere in instanti, si esset in magnitudine, non autem sequitur, si sit virtus abstracta a magnitudine. Contra: virtus infinita ex eo quod essent in magnitudine non foret in infinitum potentior ad movendum, et ad agendum, immo forte magis videretur artari, nec ex eo quod esset abstracta a magnitudine, foret in infinitum infirmior. Patet: angelus enim non est minus potens ex eo quod non est virtus informans materiam sicut anima intellectiva, cum informare sit conditio imperfectior quam non informare, igitur si virtus prime cause posset movere ultra omnem velocitatem existens in magnitudine, multo magis extra. Item, esse extra magnitudinem non tollit posse movere motu infinito et eterno, immo secundum

Commentatorem, dat necessitatem eternam motui, igitur non impedit movere perfecte, quia ex motione eterna arguant illi infinitatem virtutis in prima causa. Item, sequitur quod abstractio illius virtutis a magnitudine artaret et impediret illam virtutem ab infinita actione et necessario redderet eam otiosam quasi secundum infinitam latitudinem sue potentie.

Item, ratio Aristotelis eque probat, sive sit in magnitudine, sive extra magnitudinem, ex quo non est naturali necessitate motiva, virtus enim finita et virtus infinita equali velocitate movebunt. Dicere igitur quod virtus naturalis infinita abstracta non potest movere nisi certa velocitate finita, et si esset in magnitudine moveret in instanti, videtur sermo ad placitum sine ratione. Aliter, videtur respondere ad dictam probationem Commentator, 8 Physicorum, commento ultimo, scilicet 78, sic dicens: “si posuerimus actionem infinitam esse corporis, sequitur quod insit ei potentia infinita. Si autem posuerimus illam esse alicuius non corporis, tunc potentia illius non potest dici finita aut infinita. Finitum enim et infinitum solum de corporibus dici possunt, et infra, si potentiam infinitam posueris in corpore, sequitur quod motio illius sit in non tempore, quod est impossibile, si vero illam posueris non in corpore, tunc non dicetur finitum aut infinitum, non igitur sequitur quod sit movens in non tempore. In hiis enim non potest intelligi una potentia maior alia, maius enim et minus solius est quantitatis. Contra: aut intelligit de finito et infinito, et de maiori et minori secundum extensionem dimensivem et ni -[387a]-hil ad propositum. Si secundum vigorem et intentionem et actionem falsum est manifeste, quia vel est virtus finita vel infinita, sic etiam de qualibet intelligentia secunda, licet sit virtus non extensa in magnitudine, est enim quelibet finita vel infinita et una virtutis perfectioris quam alia.

Item, virtus existens in magnitudine habet proprium et formalem gradum virtutis secundum quem est tanta virtus et secundum quem est maior vel minor alia virtute corporea, non secundum quantitatem et tantitatem quantitatis dimensive. Probo, quia in maiori quantitate potest esse virtus minor et econtra.

Item, videtur repugnantia in verbis Commentoris, quia dicit quod potentia infinita, si sit non in corpore non est finita, nec infinita.

Item, hoc repugnat suis dictis in tractatu De substantia orbis, et 12 Metaphysice, commento 41, ubi ponit motorem separatum esse potentie infinite.

Item, secundum suam expositionem, 8 Physicorum, Aristoteles probat potentiam primi motoris esse infinitam, aut igitur potentiam existentem in magnitudine, et hoc est contra textum et suam expositionem aut potentiam existentem non in magnitudine et habetur propositum, quia talis est infinita.

Item, per hoc non evaditur ratio, quia si virtus primi motoris non est finita, sed ultra omnem proportionem excedit omnem virtutem finitam imaginabilem et est talis et tanta quod si esset in magnitudine esset infinita et moveret in instanti, igitur et nunc quia propter abstractionem et propter talem modum essendi nobiliorem non artatur necessario ad movendum in infinitum imperfectius. Aliter respondet Commentator, 12 Metaphysice, commento 41, quod motus celi habet duplum motorem: unus est proprius et coniunctus et est anima existens in celo, et iste est finite potentie et finite motionis, et ab isto habet celum quo moveatur successive certo tempore et certa velocitate, quia ipsius ad mobile est proportio determinata. Alius est motor separatus a magnitudine, et iste est infinite potentie, et ab isto habet motus celi eternitatem et continuatatem necessarie eternitatis, non autem a motore proprio coniuncto finito, quia virtus finita potest ex se quiescere et cessare, sed ab eo est successio determinate velocitatis quasi aliter non posset a virtute infinita esse successio determinata, nisi concurreret movens finitum.

Contra: quod non tollit nec impedit infinitum excessum potentie motive super rem motam, seu super potentiam mobilis, nec diminuit proportionem potentie motive ad mobile non tollit infinitam velocitatem, nec diminuit de velocitate, sed addere motorem finitum virtuti motive naturali infinite non est tollere infinitum excessum potentie infinite motive super mobile, nec est diminuere excessum vel proportionem, sed potius augmentare, igitur non minus est infinita proportio et non finita inter potentiam motivam et mobile propter additionem virtutis minoris, igitur non tollitur, nec diminuitur, nec impeditur velocitas. Confirmatur hec ratio per Commentatorem, secundo Celi et mundi, commento 38, ubi loquens de motoribus orbium celestium sic ait: “si potentie eorum essent infinite in vigore movendi, non erit proportio inter motorem et rem motam, et si hoc esset non esset differentia inter eos, nec esset ibi multitudo, et etiam inveniretur motus in instanti. Ideo, opinandum quod potentie entium separabilium a materia sunt finite uno modo, et infinite alio modo, et quod sunt terinate proportionis ad corpora mota, et quod infinitas non invenitur in eis, nisi propter eternitatem. Causa enim abstitionis continuatatis esse et eius eternitatis est [387b] materia. Cum igitur motor et res mota absindunt

a materio prima, non abscinderetur suum esse, nec suum opus, quod est movere et moveri”, hec Commentator. Et commento 39 sic ait: “motor celi est terminatus et tempus terminatum, igitur non vigoratur in infinitum, et non potest quis contradicere huic inductioni dicens quod hoc non est verum, nisi in potentis materialibus. Nos autem dicimus quod potentia motoris celi est infinita, quantum nos non intendimus per infinitum, nisi infinitatem motionis, id est quod motio eorum non cessat. Infinitas autem intensionis, ut illic non sit proportio inter potentiam motoris et moti impossibile est”, hec Commentator. Preterea, contra responsonem Commentatoris sic: potentia infinita naturaliter movens, si se sola immediate moveret *b* celum moveret ultra omnem velocitatem finitam, igitur. Et si moveret *b* celum, cum quadam alia potentia naturaliter motiva. Consequentia probatur multipliciter. Primo, quia potentia motiva alicuius mobilis addita alteri potentie motive eiusdem mobilis, non diminuit de velocitate, immo additio virtutis est potius augmentatio velocitatis. Confirmatur, quia duplex illa potentia motiva simul sumpta non minori excessu, nec minori proportione, excedit potentiam mobilis quam altera sola, igitur non minor velocitas procedit ab utraque, quia velocitas motus sequitur excessum vel proportionem inter motorem et mobile, secundum etiam Commentatorem.

Item, additio tante potentie finite ad *b* motorem proprium et coniunctum non est diminutio, sed augmentatio velocitatis et additio maioris potentie est maior augmentatio velocitatis, igitur additio potentie motive naturaliter infinite erit in infinitum augmentatio velocitatis. Si enim ipsi *b* motori proprio coniuncto adderetur potentia dupla motiva, moveretur mobili velocius in duplo, vel in certa proportione, et si ipsi adderetur potentia motiva in quadruplo maior quam sit motor proprius augeretur velocitas ad quadruplum, et sic ultra gradum velocitatis quo nunc movetur celum, igitur, si sibi addatur virtus potentia motiva naturalis infinita, augebitur in infinitum velocitas.

Confirmatur: si potentia *b* motoris coniuncti propriae intenderetur et augeretur ad duplum vel ad quadruplum cresceret velocitas ad duplum, et si intenderetur ad octuplum, similiter. Ergo, si in infinitum intenderetur, cresceret in infinitum velocitas, igitur si sibi addatur potentia motiva naturalis in infinitum maior in infinitum cresceret velocitas. Probatio consequentie, quia uniformiter crescit velocitas sive potentia motiva intendatur formaliter per tantam latitudinem, sive sibi addatur adiutorium alterius rationis secundum tantam latitudinem potentie motive. Item, si virtuti calefactiva vel alterativa infinite adderetur virtus calefactiva vel alterativa finita,

non artaretur virtus infinita per hoc ad certum gradum velocitatis et effectus, igitur. Similiter, de virtute motiva localiter. Antecedens patet: si sol enim esset infinite virtutis calefactive, apposito c calefactivi finiti, ut ignis non artaret, non impediret potentiam solis ad minus perfecte agendum et consimiliter, si b grave esset infinite gravitatis intensive, et infinite inclinationis ad motum, deorsum apposito potentie alterius tractive vel pulsive, deorsum non artaret nec necessitaret potentiam infinite gravitatis ad descendendum velocitate finita. Unde, virtus infinita naturalis magis trahit ad se virtutem minorem quam econtra, ut si virtus tractiva debilis addatur fortiori. Ex his patet quod non est dicendum motorem [388a] proprium et finitum temperare et refrenare potentiam infinitam motoris separati, quia potentia infinita naturali necessitate toto conatu et impetu tendens in aliquam actionem, vel in aliquem terminum, non potest impediri, nec artari, nec arrestari per potentiam finitam. Confirmatur: vel motor proprius et coniunctus coagit et concausat motori separato, aut ei resistit et impedit. Si primum, igitur non minor. Sed maior velocitas procedit ab ambobus simul quam ex altero tantum, quia alterum coadiuvatur ab altero. Si secundum, contra: tum quia utrumque est potentie motive naturalis et tendunt ad eundem effectum, tum quia quamvis resisteret, adhuc totalis resistantia tam mobilis quam motoris coniuncti vincitur et superatur infinite et improportionabiliter ab illa potentia infinita, ergo sequeretur motus infinite velocitatis.

Item, additio virtutis motive non magis artat priorem potentiam motivam quam additio vel augmentatio impedimenti et resistantie ex parte mobilis. Sed finita additio resistantie in mobili non artaret, nec necessitaret potentiam infinitam motivam ad certum gradum velocitatis, igitur.

Item, adhuc stat ratio Aristotelis, scilicet quod virtus naturaliter motiva infinita et virtus finita equali velocitate moverent. Probo, quia si b motor proprius cum adiutorio potentie infinite naturalis non movet, nisi tanto gradu velocitatis, sequitur quod si virtus finita incerta proportione maior quam b adderetur ipsi b proveniret motus equalis ex adiutorio finito et ex adiutorio infinito. Si dicitur quod illi motori infinito separato non repugnat quantum est ex se posse movere in instanti et ultra omnem velocitatem. Sed hoc repugnat effectui, et passivo motui enim repugnat esse et fieri in instanti, et mobili repugnat moveri in instanti.

Contra: secundum istam responsionem frustra ponitur duplex motor, quia si potentia motiva infinita moveat se sola, poterit assignari eadem ratio quare non movet in instanti, scilicet quia repugnat motui et mobili.

Item, ex hoc videtur haberi propositum, quia cui repugnat moveri, nisi finito gradu velocitatis ei repugnat moveri a virtute infinita naturaliter movente, et quod non est capax motionis infinite, non est mobile proportionatum motori infinito moventi necessitate naturali, sicut de alterabili ut calefactibili respectu calefactivi infiniti.

Item, omni mobili et omni motui per se repugnat infinita velocitas, igitur omni potentie motive repugnat infinita velocitate moveri, vel sic infinita velocitas est per se impossibilis et figmentum, igitur potentia ex se potens in infinitam velocitatem est impossibilis et figmentum. Consequentia patet, quia motivum et mobile dicuntur relative et potentia illa est impossibilis, que est ad actum impossibilem et cui repugnat reduci ad actum.

Item, non erit ratio quare illa virtus infinita naturaliter motiva determinetur ad hunc gradum velocitatis finitum magis quam ad illud ex quo est naturalis et est infinita, et ex se potest in maiorem, et subiectum est capax maioris velocitatis. Confirmatur: quantocumque gradu velocitatis finito posset illa virtus movere si esset libera tanto gradu vel ultra movebit, si sit naturali necessitate movens, sed si esset infinita et libera posset ultra gradum finitum quo nunc movetur celum, igitur. Preterea, contra responsonem priorem Commentatoris, quia virtus [388b] infinita intensive in vigore et naturali necessitate motiva excludit omnem aliam virtutem motivam secum partialiter moventem. Probo, quia non exigit nec indiget cum sit sufficiens et perfecta. Patet de calefactivo vel alterativo vel pulsivo infinito. Si dicitur quod Commentator non intendit illum motorem separatum infinite potentie concurrere effective ad motum celi cum motore coniuncto, sed tantum in genere cause finalis, ideo non sequitur motum fieri in instanti. Contra, habetur propositum, scilicet quod non probatur primum ens esse potentie active vel motive infinite intensive secundum vigorem.

Item, si ideo non sequitur illum motum esse in instanti, quamvis illa potentia sit infinita, quia non causat per modum efficientis sed finis, igitur sive illa potentia esset in magnitudine sive extra magnitudinem, sive causaret mediate, sive immediate, eque sequitur motum non esse in instanti. Consequens videtur contra verba Commentatoris, ibidem.

Item, si ex infinitate et eternitate motus non arguitur potentia effective motiva esse infinita, igitur nec causa finalis arguitur infinita. Et ratio Aristotelis, cui Commentator innititur principaliter ad probandum primum motorem esse potentie infinite, non valebit, quia non procedit nisi de potentia effective motiva.

Ad primum, igitur in oppositum, quidquid Aristoteles intendat: ratio tamen supraposita non probat conclusionem intentam, et negatur consequentia. Sicut enim virtus incorruptibilis et infatigabilis potest dare in esse perpetuo, ita potest esse motiva perpetuo. Ad probationem dicendum quod *d* potentia subdupla ad *a*, si sit incorruptibilis et inalterabilis et infatigabilis, eque movebit perpetuo mobile sibi proportionatum, sicut *a* potentia dupla. Patet, quia inter intelligentias motrices et inter virtutes activas planetarum et stellarum est ordo perfectionis, et tamen eque perpetuo sunt motive vel active. Illud etiam est verum de virtutibus materialibus corruptilibus et alterabilibus que a contrariis et impedimentis resistivis alternantur et diminuuntur et patiuntur secundum indispositionem ducentem ad corruptionem, ideo minor minus potest dare ceteris paribus quid igitur intendit Aristoteles.

Respondeo: non videtur quod Aristoteles ex eternitate motus intendat concludere simpliciter et absolute primum motorem esse virtutis infinite intensive, quia duodecimo Metaphysice, capitulo octavo, sic dicit: “ostenum est quod non contingit primum movens habere magnitudinem, quia habet potentiam infinitam et finitum non habet potentiam infinitam”, et postea statim in principio capituli noni querit utrum sit ponendum unam talem substantiam vel plures, et determinat quod plures secundum numerum lationum, palam inquit quod tot substantias necesse est esse natura sempiternas et immobiles secundum se et sine magnitudine propter predictam causam, scilicet propter habere potentiam infinitam que non potest esse in magnitudine finita, nec infinita. Ex quibus patet quod Aristoteles eo modo quo intendit probare infinitatem de prima substantia. Probat etiam de qualibet intelligentia motrice celi. Potest igitur dici iuxta ea que superius dicta sunt, distinctione octava, quod Aristoteles octavo Physicorum non probat directe primum motorem esse potentie infinite, sed probat ipsum non esse virtutem in magnitudine materiali et physica, ut sit virtus corruptibilis et alterabilis et fatigabilis secundum se [389a] vel secundum aliquid eius, quia non moveret tempore inifnito, nisi ipsa esset infinita, sed infinita esse non potest in magnitudine ut consequenter probat.

Ad primam confirmationem, negatur maior de potentia incorruptibili et infatigabili, quia eo ipso quod potest per duos dies potest per infinitos, et contradictio est quod possit per duos tantum, sicut et quod possit esse per duos tantum.

Ad aliam confirmationem loquendo de effectu infinito secundum durationem et secundum esse successivum, negatur maior. Ad probationem, patet ex dictis.

Ad secundum principale, stando in lumine naturali, negatur antecedens respectu eiusdem mobilis et eiusdem resistentie. Ad probationem, Aristoteles intendit quod non appareat repugnantia per se ex parte temporis et motus et magnitudinis stando in rationibus generalibus continui successivi et permansivi, quia continuum est divisibile in infinitum, et potest in infinitum minorari quantum esset ex continuitate divisibili. Sed ex rationibus specialibus moventium et mobilium et causarum naturalium hoc repugnat. Unde, Commentator ibi dicit quod hoc non repugnat motui secundum quod motus et continuus, sed secundum quod naturalis in tali materia, ideo dicit quod illud est possibile per se, sed impossibile per accidens, id est non est vel non arguitur impossibilitas ex per se ratione motus et temporis et magnitudinis, ut continua sunt sed ex rationibus specialibus, que sunt quasi accidentales rationibus universalibus.

Ad tertium, negatur maior, si sint effectus infiniti eiusdem rationis producibles successive, quia eo ipso quod continet, et continet infinitos si perpetuo duret in esse, alioquin virtus cuiuslibet intelligentie et stelle esset infinita. Ad minorem etiam dicendum quod quamvis nulla perfectio formalis et intrinseca adveniat noviter prime cause ex effectibus precedentibus, tamen stando in lumine naturali, dico quod prima causa non continet immediate, et in potentia proxima infinitos huiusmodi effectus, sed mediate et in potentia remota, quia posteriores non potest immediate producere, sed tantum mediantibus prioribus effectibus et mediantibus dispositionibus corporum celestium, secundum aspectus medios futuros. Ad confirmationem, negatur minor, stando enim in lumine naturali et in his que argui possunt ex eternitate motus, falsum est quod prima causa possit ex se producere simul infinitos huiusmodi effectus, immo infiniti effectus adequabunt eius causalitatem pro tempore presenti secundum dispositionem totius ordinis causarum universi nunc existentem, sic quod non posset producere in quacumque proportione plures. Et si illi effectus infiniti essent simul possibles, sequitur quod virtus sufficiens illos ponere esset maior quam illa que concluditur in prima causa ex motu infinito, et ex illa conditione impossibili infertur primam causam esse alterius virtutis et rationis quam sit illa que concluditur ex motu eterno, et que sufficit ad producendum infinita successive.

Item, dicere quod prima causa quantum est de se possit sufficienter producere simul infinitos effectus, et quod habet virtutem sufficientem ad hoc, et tamen quod sit repugnantia ex parte effectuum est impossibile, quia nulla potentia est ad simpliciter impossibile per se, sicut ad producendum chimeram.

Ad quartum, proprie loquendo non esset infinite potentie intensive, sed infinitarum potentiarum. Negatur tamen consequentia. Ad probationem loquendo pro -[389b]- prie non continet nunc nobiliori modo quam tunc, quia ille modus nullius est nobilitatis cum sit impossibilis, dicendum igitur quod ex illa conditione impossibili sequitur quod continet modo nobiliori, quia modo infinitatis formalis, et sequitur quod modo ignobiliori, quia modo compositionis ex entibus imperfectis et causalibus, nunc autem continet modo simplicitatis et independentie. Ex hoc patet ad aliam formam, unde per idem arguitur sol esse infinite virtutis.

Ad quintum, negatur consequentia. Ad probationem, conceditur absolute loquendo quod non est minus potens quam foret tunc, quia tunc nullius potentie esset, tamen ex illa conditione impossibili inferretur esse perfectior quam nunc inferatur ex eternitate motus. Ad improbationem diceretur secundum philosophos quod illud non est ex defectu potentie in prima causa proprie loquendo, quia non debet dici defectus potentie in prima causa, ex eo quod non potest quod est in se formaliter impossibile. Sed illud est ex naturali et determinato ordine et gradu entium et causalium et ex finito et determinato gradu potentie et causalitatis in prima causa. Si enim sic posset immediate in quemlibet effectum, sequitur ipsam esse infinitam et omnipotentem et liberam.

Ad sextum, negatur maior loquendo de modo producendi secundum quem dicuntur produci et causari entia eterna et necessaria, scilicet per dependentiam eternam et necessariam secundum genus causalitatis effective. Ad probationem negatur quod sit potentia creativa eo modo quo creationem negant philosophi et ponunt catholici. Si autem quis velit illum modum causandi vocare creationem, negatur quod excedit infinite per formalem et intrinsecam infinitatem sue potentie illam potentiam que producit transmutando materiam. Ad confirmationem, stando in lumine naturali diceretur quod non est minoris, nec maioris potentie, quia nullius est potentie sic creare de novo celum vel intelligentiam, tamen ex tali productione nova inferretur primam causam esse tante potentie quante potentie non infertur nunc in lumine naturali ex motione eterna.

Ad rationem in principio questionis, negatur antecedens, nisi sicut qualibet entitas speciei superioris dicitur excedere impropotionabiliter secundum quidditativam nobilitatem rem speciei inferioris sic quod quantumcumque multiplicetur perfectio speciei inferioris, scilicet in duplo, triplo, quadruplo, et sic sine statu numquam attinget perfectionem speciei superioris.

Albedo enim ut duo sic excedit nigredinem in perfectione essentiali, quod ipsa duplata, triplicata etc. numquam erit equalis perfectionis cum albedine ut duo, quia albedo quantumcumque remissa est perfectior essentialiter quam sit infinita nigredo, et ita in aliis perfectionibus essentialiter distinctis, dicendum est quod una semper improportionabiliter excedit aliam. Ad probationem non infert propositum.

Secunda questio.

Quero secundo utrum per rationes humane philosophie, capiendo humanam philosophiam pro illa quod humanus intellectus possit acquirere ex causis naturalibus cum influentia Dei generali secluso super naturali Dei auxilio facto per revelationem interiorem vel exteriorem, utrum inquam per rationes humane philosophie possit [390a] sufficienter probari primum ens esse nobilitatis essentialis formaliter infinite. Quod sic, quia infinitas perfectionis non repugnat enti, cum sit gradus summe perficiens entitatem, et quare intellectui non appetet repugnantia infiniti ad ens. Contra non argueretur nisi ex entibus secundus, que sunt a primo ente, et continentur in eo, et sunt ad ipsum ut ad finem, sed ex illis non arguitur, quia entia secunda sunt finita, secundum perfectionem specialiter perfectiones specificae sunt finite secundum philosophos, igitur. Hic primo exponendo est ens simpliciter infinitum secundum perfectionem essentiale. Si autem exponatur quod est illud quod improportionabiliter, id est ultra omnem proportionem finitam et numerabilem excedit in perfectione essentiali quamcumque perfectionem finitam, hec expositio non videbitur sufficiens apud multos qui ponunt quantitates specificas esse perfectionis finite, et tamen individuum huius excedere individuum illius ultra omnem proportionem numeralem secundum perfectionem essentiale. Potest igitur sic dici quod ens simpliciter infinitum secundum perfectionem est quod improportionabiliter et ultra omnem proportionem numeralem excedit in perfectione essentiali quemcumque gradum perfectionis essentialis finitum, etiam si in infinitum ascendatur secundum gradus perfectionis alterius rationis, eo modo quo humanitas excedit asimitatem, ita quod si esset entitas excedens humanitatem proportionabiliter, sicut humanitas excedit asimitatem, et iterum esset alia quantitas alterius rationis excedens illam proportionabiliter, et sic consequenter non deveniretur ad eque vel magis perfectum essentialiter, sicut est illud quod ponitur infinitum simpliciter secundum perfectionem, ut ens infinitum secundum perfectionem, dicatur cui non potest equiparari secundum perfectionem quodcumque ens finitum acceptum vel acceptibile secundum rem vel

imaginationem quantumcumque procedatur augendo vel multiplicando finite. Vel quia infinitum dicit negationem finiti potest dici quod infinitum secundum perfectionem dicitur quod non habet finitum gradum perfectionis sub ente, sicut homo vel equus dicitur ens perfectionis finite, ut infinitum exponatur per negationem finiti, quod scilicet non est limitatum et terminatum secundum perfectionem essentiale, sicut corpus pedale est finitum et terminatum secundum quantitatem et extensionem, et sicut binarius est quantum finitum secundum multitudinem, et hic calor est ens finitum et terminatum secundum intentionem et virtutem. Vel potest dici quod ens infinitum secundum perfectionem dicitur quod se habet secundum perfectionem essentiale ad quamcumque perfectionem finitam, sicut multitudo infinita ad binarium secundum rationem quantitatis discrete, et sicut linea infinita ad pedalem vel eternitas ad horam secundum quantitatem, vel sicut linea ad punctum, vel hora ad instans secundum durationem.

Prima conclusio: Deus est ens formaliter et simpliciter infinitum secundum perfectionem et nobilitatem essentiale. Probatur, quia ens est quo maius cogitari non potest, secundum Anselmum. Item, in Psalmo *magnitudinis eius non est finis*.

Item, est intelligentie infinite, Psalmista: *sapientie eius non est numerus*, et quia intelligit infinita distincte et comprehen -[390b]- sive. Item, Sapientie septimo, *infinitus est thesaurus hominibus*. Item, Damascenus libro primo, capitulo 4, “*infinitus est Deus et incomprehensibilis*”, et capitulo 12, “*Deus totum ens in seipso comprehendit velut quoddam pelagus substantie infinitum et indeterminatum*”.

Sed inquirendum an hoc possit sufficenter probari naturali ratione, et an hoc sit tamquam probabilius ponendum secundum philosophiam humanitus inventam, et arguitur a multis quod sic. Primo, Deus intelligit simul actualiter et distincte infinita intelligibilia, igitur habet formaliter infinitas intellections vel unam infinitam equivalentem infinitis, et per consequens est infinitum, quia intelligere sic plura simul est maioris perfectionis. Antecedens probatur, quia intelligit omne obiectum intelligibile, cum enim intellectus ist respectu omnis intelligibilis, ergo primus et perfectissimus intellectus est respectu omnis intelligibilis et non imperfecte vel confuse sicut visus respectu omnis visibilis.

Secundo sic, appetitus creature rationalis natus est beatificari et quietari et faciari in aliquo obiecto et in aliquo bono, sed non in aliquo finito secundum perfectionem, igitur. Maior patet,

quia naturalis appetitus creature rationalis non est frustra, maxime secundum totam speciem et respectu sui finis. Minor probatur, tum quia sicut experimur appetitus rationalis inclinatur naturaliter ad desiderandum et habendum bonum secundum perfectionem infinitum et comprehensivum omnis boni finiti, nec in minori terminatur appetitus noster. Nam secundum Aristotelem, primo Politicorum, capitulo 6, “divitie appetuntur in infinitum, nec satiatur, nec quietatur in eis appetitus”, et pari ratione de quocumque alio bono finito, tum quia intellectus noster omni finito natus est maius intelligere, igitur et appetitus appetere et amare. Tertio, quod est tam bonum et tam perfectum quod maius eo nec esse, nec cogitari potest est infinitum. Deus est huiusmodi, ut probat Anselmus, igitur maior probatur, quia omni finito potest esse et cogitari maius absque repugnantia, quia finito ut finitum est potest fieri additio. Confirmatur: eo quod est perfectissimum et eminentissimum ens non contingit esse vel cogitari eminentius sine repugnantia manifesta. Sed omni finito contingit esse vel cogitari eminentius absque repugnantia manifesta, igitur nullum finitum ens est perfectissimum ens. Non dico perfectissimus homo vel perfectissimus angelus, sed perfectissimum ens. Deus autem est eminentissimum ens.

Quarto, nulla imperfectio vel conditio imperfectionis inest primo enti, cum sit ens simpliciter perfectissimum, sed finitas est conditio imperfectionis. Probatur, quia finitum dicit limitationem et artationem essentialis perfectionis, et quanto aliquid est limitatius secundum aliud, tanto est imperfectius secundum illud, et tanto est propinquius non gradui vel infimo gradui.

Quinto, conditio et differentia essendi que non est imperfectionis, nec appareat repugnare enti, attribuenda est primo enti secundum actum vel potentiam. Sed infinitas perfectionis essentialis est huiusmodi, tum quia infinitas videtur gradus vel differentia perfectior quam finitas, tum quia quantitati molis non repugnat infinitas quantitativa, igitur quantitati virtutis et perfectionis non repugnat infinitas suo modo proportionabiliter correspondens, quia est nobilior differentia infinitatis. Antecedens [391a] probatur, nam infinitas convenit quantitati successive, convenit etiam multitudini, convenit et continuo infinitas secundum divisionem. Confirmatur: convenit procedere in infinitum, in descendendo et in diminutione perfectionis, quia omni gradu finito perfectionis dato contingit dare subduplum, igitur contingit procedere in infinitum, in ascendendo et in augmentatione perfectionis, quia hic processus est nobilior et magis ad perfectionem universi.

Sexto, singulare quod adequat et totaliter comprehendit perfectionem sue quidditatis specificae est infinitum. Deus est huiusmodi, quia quidditas deitatis non potest multiplicari numeraliter. Sed hoc singulare est totaliter sua quidditas, igitur. Maior probatur, quia singulare adequans et totaliter comprehendens perfectionem quidditatis specificae inferioris esset infinitum. Patet, si enim esset aliqua albedo adequans et totaliter comprehendens perfectionem totius speciei albedinis esset infinita, quia contineret formaliter vel eminenter et equivalenter infinitos gradus albedinis, et omnem albedinem possibilem, igitur multo magis singulare adequans totaliter perfectionem nature perfectioris est infinitum.

Septimo, quod secundum perfectionem excedit infinite et improportionabiliter quodlibet finitum est infinitum secundum perfectionem. Deus est huiusmodi, quia dato quocumque ente finito secundo quantumcumque augeretur vel fieret sibi additio ad duplum vel ad quadruplum etc. secundum perfectionem, adhuc non adequaretur secundum perfectionem primo enti, quia dependeret ab eo, et gratia eius esset ut finis propter quem.

Octavo, quod continet eminenter et perfectionaliter perfectiones entium secundorum est infinitum maxime, si continet illas nobiliori modo quam si contineret formaliter vel quam continantur ab entibus secundis. Patet, quia ille sunt infinite actu vel potentia. Deus est huiusmodi, tum quia omne ens secundum natum est dependere essentialiter a primo secundum quodlibet sui, tum quia primum est finis omnium, tum quia continet eminenter perfectionem entis secundi nobilissimi, quod est primum causatum, et quod est totaliter a primo ente, igitur pari ratione perfectionem tertii entis, et sic consequenter.

Dices: maior conceditur, si essent infinite species entium secundorum, non autem si sint infinita entia secunda eiusdem rationis possibilia, quilibet enim homo dicitur continere perfectionem cuiuslibet asini, quia per eundem gradum perfectionis finitum quo quidditas superior continet et excedit inferiorem continet et excedit omnia individua illius, nec est maioris perfectionis sic excedere unum vel continere quam omnia.

Contra: quia primum ens videtur continere eminenter infinitas perfectiones specificas, quia pluralitas specifica procedit in infinitum in numeris et figuris, et in actibus anime correspondentibus illis speciebus numerorum et figurarum, et in actibus rectis et reflexis tam intellectus quam voluntatis.

Respondeo: videtur quod non potest sufficienter probari pars affirmativa ratione naturali, et quod probabilior sit pars negativa in lumine naturali. Probatur, quia non sufficienter probatur esse infinite potentie active vel effective. Patet ex precedenti questione, igitur, nec sufficienter probatur esse infinite perfectionis essentialis. Consequentia probatur, quia si nullius sit potentie motive et effective, vel si sit potentie effective fini - [391b] - te, sequitur quod non est formaliter infinite perfectum. Preterea, non probatur sufficienter *b* intelligentiam secundam immediatam prime esse nobilitatis formaliter infinite, igitur nec de prima intelligentia. Consequentia probatur, quia non arguitur quin *b* contineat et excedat omnia alia entia secunda, sicut prima continet et excedit *b*, igitur si ex continentia aliorum non arguitur infinita perfectio in *b* sic continente, sequitur quod nec arguitur ex continentia aliorum cum ipso *b*, quia sola additio finiti non arguit, nec facit de finito infinitum.

Preterea, non sufficienter probatur primam intelligentiam excedere infinite *b* secundam intelligentiam immediatam prime, igitur nec arguitur excedere infinite aliquod aliud. Consequentia patet, quia *b* est perfectionis finite. Antecedens probatur, quia non arguitur posse esse medium gradum perfectionis inter primam et *b*, et ita non arguitur prima distare infinite secundum perfectionem ab ipso *b*, et quia *b* continet et excedit quidquid continetur et exceditur actu vel potentia a prima intelligentia preter ipsum *b*.

Preterea, aut prima intelligentia poneretur intelligens et volens et agens libere et contingenter vel naturali necessitate, si secundum igitur cum habeat velle et intelligere distincte respectu omnium ex quo ponitur esse infinite intelligentie et volitionis, sequitur quod omnia evenirent necessario et immutabiliter vel inevitabiliter. Si primum, igitur omnes fere difficultates que contingunt in lumine fidei nostre circa intelligere et velle divinum respectu singularium presentium preteritorum et futurorum contingent etiam philosophis utentibus precise lumine naturali, et omnia miracula essent concedenda, quod non est probabile philosophis.

Ad primum, in oppositum negatur antecedens, stando in lumine naturali. Patet supra distinctione trigesima quinta, questione tertia. Ad secundum, negatur minor in lumine naturali loquendo de appetitu rationali conformi recte rationi naturaliter appetenti, non de appetitu qualicumque. Multa enim appetimus communiter et ad appetendum naturaliter, id est secundum dispositionem naturalis complexionis inclinamur, que non sunt naturaliter possibilia, ut perpetuo vivere sine

infirmitate et miseria vel pena quacumque. Probationes autem antecedentis procedunt de appetitu naturali, id est quo de facto appetimus secundum naturalem nostram dispositionem.

Ad tertium, si maior intelligitur quod nullum obiectum intelligibile potest cogitari quod sit actu realiter maius. Negatur maior et probatio assumit falsum. Si vero intelligatur, non est possibilis cogitatio ex cuius veritate non sequeretur esse aliquid maius. Negatur minor, immo sequetur esse et non esse, maius de hoc supra dictum est distinctione secunda questione quarta.

Ad quartum, negatur minor, si intelligatur universaliter ad probationem limitatio citra gradum et terminum maiorem possibilem est proprie artatio, et est conditio aliqualis imperfectionis, et talis non est in primo ente, sed large sumendo limitationem ut opponitur infinito et interminato sic limitatum non dicit imperfectionem, sed esse limitatus aliquo dicit imperfectionem, quia dicit elongationem a summo gradu et ultimo termino perfectionis.

Ad quintum, negatur minor in lumine naturali. Ad probationem primam non est imperfectior differentia essendi secundum rei veritatem,**[392a]** sed tantum in apparentia et imaginatione et modo intelligendi, ita enim arguitur quod sit dare infinitum et accidens infinitum.

Ad secundam, si intelligitur de infinite quantitativa extensiva et permansiva, negatur assumptum, si de infinite aliis modis possibilibus, negatur consequentia. Ad confirmationem, negatur consequentia.

Ad sextum, negatur maior, quia secundum philosophos quilibet planeta sic adequat et quilibet intelligentia secunda, si igitur illa quantitas sit immaterialis vel non multiplicabilis naturaliter secundum plura supposita numero, negatur maior. Si vero sit numeraliter et individualiter multiplicabilis sic maior implicat impossibile, si sit categorica.

Ad septimum, secundum aliquos negatur maior. Potest tamen negari minor, ad probationem licet assumptum sit verum specialiter de augmentatione non implicante contradictionem in lumine naturali, non tamen probat propositum.

Ad octavum, si intelligitur de continentia virtuali quo modo sol continet generabilia et corruptibilia, vel de continentia perfectionali, quo modo humanitas dicitur continere perfectionem asini et animalium inferiorum, negatur maior. Ad probationem, assumptum est falsum de quidditatibus specificis. Si vero intelligitur de individuis non probat propositum, quia non est duplo maioris perfectionis continere taliter 4 quam continere 2.

Responsio: ibi posita conceditur in lumine naturali. Ad improbationem, ille non sunt quidditates infinite realiter distincte specifice alia distinctione a quidditatibus numeralibus et figuralibus, de conceptibus autem intellectus nostri non est possibilis processus in infinitum secundum species loquendo precise in pura philosophia, intellectus enim noster est virtutis finite et non ponitur Deum supernaturaliter ipsum adiuvare per potentiam infinitam.

Ad argumentum in principio questionis, negatur antecedens. Ad probationem, quedam repugnantie magis apparent et quedam magis latent. Sed per rationes a priori vel a posteriori manifestantur. Non enim intellectus noster statim cognoscit evidenter repugnare quecumque repugnant. Infinitas etiam non est differentia essendi secundum philosophos.